

provoco. In resolutione namq; metallorum per ignem in quolibet illorum combustibile quid, quod ignem concipit, flammam edit, & quidem quæ eam, quam sulphur incensum edere solet, colore suo lurido refert, & gravi foetore sulphuris naturam prodit, est reperire. Quod verò in auro nihil ejus contineatur est à perfectissima & exactissima ejus cum argento vivo mixtione, & optima sulphuris in illo mixto concoctione, quodq; sulphur, postquam munere suo defunctum est, totum abiit in auri naturam. Hinc aurum omnium metallorum purissimum & perfectissimum minus igne petitur, nec à vulgari sulphure, quod tamen cæteris metallis omnibus accidit, interitum metuit, ut propterea incorruptibile credatur. Præterea in quolibet metallo simile quid Mercurio sive argento vivo, album, currens, quod vi ignis urgente diffugit, & in auras abit, deprehendas, non secus atq; illud quod vulgaris Mercurii nomine venit. Patet hinc quoq;, illa ipsa corpora, quæ nobis sulphur & Mercurius sive argentum vivum vocantur, non esse id quod proximam & immediatam metallorum materiam diximus, sed aliquid his analogum, scilicet in mixto illo sulphureum quid, naturam argenti vivi referens, & proprietates sive qualitates sulphuris & Mercurii manifestò prodens. Cum verò ad maturitatem & perfectionem perducta talis materia sulphurea & mercurialis est, à frigore adstringitur & condensatur, atq; ideò ad causas efficientes frigus merito refertur. Faciunt huc, & omne id quod diximus mirè illustrant ea, quæ habet Mathesius Sareptæ suæ sermone sexto & tertio, ejus verba, cum rem, quam proposuit, egregiè exprimant, totusque locus vocabulis metallicis lateat, prout habent, adferre lubet.

Es ist / inquit sermone sexto, aufm Abertham in S. Lorenz Fundgrub / gediegen Silber in einem Stempel gewachsen / und dieses lauffende 1556. Jahr aus der Gruben kommen / daraus wir lernen können / daß Klüfte und Gänge noch ihre saambaste Art haben / die Gott durch sein Sprechen in die Erde geschaffen / daraus er natürlicher Weise läst das Erz wachsen. Denn da sich